



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Sequitur textus Indulti Primariarum Precvm In Qvinqve Sectiones Divisus,
Cum Summariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

Sequitur textus

INDULTI PRIMARIARUM
PRECVM IN QVINQVE SECTI-
ONES DIVISUS, CUM SUMMARIIS.

Sectionis I. Summarium.

Causæ impulsivæ Indulti S. D. N. Pauli Pap. V. sunt bene merita Caesaris erga Ecclesiam Romanam Catholicam, cujus est Advocatus & legitimus Athleta adversus fidei Christiani nominis hostes.

SECTIO I.

^a PAVLVS ^b Episcopus servus ser-
vorum Dei. Charissimo ^c filio Ferdinando
Romanorum ^d Regi Illustri in Impera-
torem electo, ^e salutem & Apostolicam
benedictionem.

EVM post factam de persona tua per f. S. R. Imperij Principes & Electores in h. Regem Romanorum electionem, ac per nos pro uni-
versa Reipub. salute i. confirmatam, nuper nobis significaveris, te summopere desiderare personas tibi gratas & acceptas gratia ut munificen-
tia aliqua beneficia Ecclesiastica consequi posse: Nos quemadmodum magnis merentur efferi laudibus, insignibusque præconijs commendari & sublimium Principum desideria & vota que in divini nominis & personarum, illi Clericali vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere post modum consequente tutum deducantur in actum: ita etiam dignum vel potius debitum existimamus, ut quoniam in fidei sinceritate & devotione illibate Ecclesie sponsæ nostræ, te fidelem & Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem & Domi-

PRECES PRIMARIÆ

Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & S. Rom. Imperii decus, & unionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio, adveniente tempore, suscipere, & in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tanquam ipse Ecclesie legitimus Pugil & Athleta, te adversus Schismaticorum & Hereticorum, Turcarum tyrannum, ac fidei ac Christi nominis hostes, insanas, & favores, spiritualiter & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem bene meritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum.

SCHOLIA IN SECTIONEM I.

Nomen
Pauli V.
ante Pon-
tificatum.

a PAULUS) Antequam ad summi Apostolatus apicem erectus esset Paulus V. Pontifex Maximus Camillus vocabatur, ex Illustri Burghesiorum familia oriundus, cujus ego deductionem accuratam ex antiquissimis Scriptorum monumentis prodidi in Epistola liminari Dissertationum mearum in Onofandri Strategicum ad Illustriss. & Reverendissimū Dnm. Scipionem S. R. E. Card. Burghesium. Mutato autem Camilli nomine, Paulus V. dictus est; æquum enim est, ut Papa, qui aliis omnibus præest, proprio suo nomine quo appellabatur, dū aliis suberat, exinde non vocetur, sed aliud sibi assumat, ut sicuti est Dominus omnium, & Dei Vicarius effectus, *glos. in verb. Bomf. in præm. lib. 6. ubi DD. Guilielm. Bened. in cap. Raynurus in pr. non 43. & seqq.* ita nomen aliud sibi adsciscat ad instar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon dicebatur, *Restaurus Castaldus tract. de Imper. quest. 40.* Hinc omnes à Gregorio Magno Pontifices, hanc nominis mutationem non sine ratione esse considerantes, primo nomine neglecto, aliud assumere consueverunt, quasi quod prius in terrena, privataque vita assecuti erat, terrenos affectus redoleat; proinde cum terrenæ cogitationes & curæ sint ab ipsis calcandæ, oblivioni quæ mandandæ, aptè quidem cum secularibus negotiis, secularis quoque appellatio rejiciatur, id quod etiam in nonnullis Regularium ordinum familiis, observari notat Anast. Germon. *tract. de Indultis Cardin. in script. nu. 19.* Verum, quantò major & excellior est Papa, tantò humilior omnibus creaturis ostenditur, & propterea se SERVUM SERVORUM DEI appellat, *cap. relatum 37. in si. de sent. excom. & in præm. Decretali in glos. verb. Servus* Ex quo illud processit, ut in die coronationis Papæ, quo conditionis humanæ minor sit, ante illum stupæ in summitate arundinis comburantur, & stentoreâ voce inclametur: SIC TRANSIT GLORIA MVNDI PATER SANCTE

SANCTE. *Navar in repert. cap. inter verba 11. quest. 3. conclus. 5.* Ita olim triumphantibus Imperatoribus suggerebatur à tergo: RESPICE POST TE: HOMINEM MEMENTO TE. *Tertul. in Apolog.* Atque hæc inscriptio Servus Servorum &c. aded usque recepta, & necessaria est in litteris Pontificijs, ut si illa desit, litteræ obreptitiæ, & de falso sint suspectæ, ut pote contra styli usum fabricatæ. *Bald in l. Sacri assatus C. de divers. rescript. cap. quam gravi de crimine falsi Abbas in cap. ex parte 2. num. 2. de off. iud. deleg.*

b EPISCOPVS) Quid causæ cur S. D. N. Episcopum se nominet, notat *Papa vnde Episcopus dicitur.* Restaurus Castaldus tract. de Imperat. quest. 42. ubi scribit iccirco Episcopum nominari, quod nullus ordine Episcopali major sit in Ecclesia, per not. glos. in Proëm. sexti, in verbo Episcopus, & Anast. Germon. tract. de Indult. Cardin. in §. Episcopus.

c CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO) Multis jam retro seculis inolevit usus ille, ut S. D. N. Papa cum Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & Cardinalibus scribit, fratres appellet, tanquam in officio Coadjutores; cum autem aliis, filios. Et quidem optimaratione, ut quemadmodum, inquit Rebuffus, ad formam mandati, verbo dilectis filijs, & Deus Opt. Max. pater est & creator omnium, ita ejus in terris Vicarij filij sumus, cura & honore, quia curam omnium gerit, ut ostendit Bonifac. ad Proëm. Clem. col. 2. not. 4. Atque hæc scribendi forma nisi servata fuerit, præsumitur rescriptum falsum d. cap. quam gravi. in l. inter claras C. de summa trinit.

d FERDINANDO ROMANORVM REGI) Eligendus in Imperatorem, primum eligitur à septemviris, Germaniæ Rex Romanorum, postea verò promovetur in Imperatorem unctione, consecratione, & coronatione quam accipit à Papa, text. in c. Venerabilem ibi, personam electam in Regem, & ibi, ad Imperium assumendus, de Iurejur. Restaur. tract. de Imperatore quest. 10. Aurea etiam Bulla Caroli IV. quotiescumque necessitas seu calus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi. Ac licet plerique sint in ea sententia, ut Rex potius Germanorum eligatur. *Ioan. And. in cap. Venerabilem, nihilominus prævaluit sententia Pañor. & aliorum in d. cap. quæ etiam diuturno loquendi usu confirmata est.* Benè tamen animadvertit D. Azorius l. 10. in sit. moral. part. 2. cap. 4. olim antequam electio Imperatoris ad septemviros Germanos Romani Pontificis autoritate redacta esset, Regem Romanorū eligi quæmpiam solitum, qui deinde ab Italis, Lombardis eligebatur, & à Mediolanensi Episcopo coronabatur in Regem Italiæ, tandem à Romano Pontifice, annuente univ. so. populo Romano, Imperator Romanorum vocabatur. Unde Carolus Magnus qui primum Aquisgrani erat creatus, & coronatus Rex Germanorum, postea in Italia Longobardis bello devictis se fecit in Regem Italiæ coronari, & Pipinum filium Regem Italiæ nominavit. Post Carolum Magnum, successerunt ordine Ludovicus Pius, Lotharius, Lu-

B

dovi;

dovicus Junior, Carolus Caluus, Ludovicus Balbus, Carolus Crassus, & Arnulphus, quorum singuli fuerunt Reges Germanorum, & deinde ab Italis electi Reges Italiae, & postea coronati à Romano Pontifice Imperatores. Arnulphum secuti sunt Ludovicus filius ejus, Conradus I. & Henricus I, qui Reges quidem Germanorum fuerunt, sed non Reges Italiae, vel Imperatores electi atque coronati. Post decretum à Gregorio V. (licet alij falso Gregorio X. id attribuant, quos refutat Card. Bellarm. de transl. Imperij Romani l. 1. cap. 1.) de Imperatore eligendo, Septemviri Germani Regem Romanorum dicuntur eligere, quoniam etiam si eligatur Rex Germanorum, quia tamen eligitur in Imperatorem postea promovendum, revera eligitur in Regem Romanorum. Item ut supra dixi Romanus Pontifex jus eligendi ad Septemviro Germanos revocavit, ut schismata ex Imperio tollerentur; nam post Carolum Crassum, quidam Itali elegerunt in Regem Italiae Berengarium ducem Foro Juliensis, alij Widonem Ducem Spoletanum, alij Arnulphum Regem Germaniae. Post Arnulphum itidem, quidam Itali volebant eundem Berengarium, alij Lambertum filium Widonis, quem ipse pater Widone Regem appellaverat, & socium regni sibi adjunxerat, alij Ludovicum filium Bossonis in provincia Regis contra Berengarium vocarunt, & regno Italiae praefecerunt; mortuis vero Widone, Lamberto, Arnulpho, Ludovico regnavit in Italia solus Berengarius, sed contra ipsum multi Itali Rudolphum Burgundiae Regem, in Regem Italiae elegerunt, quo deinde absente, & extincto Berengario Italici Hugonem filium Lotharij, nepotem Lotharij in Lotharingia Regis, pronepotem Ludovici II. Comitem Arrelatensem Regem Italiae crearunt, & hic filium Lotharium Regem Italiae nominavit, qui scilicet sibi socium in regno assumpsit, qui deinde mortuo patre solus in Italia regnavit. Sed contra eum Itali Berengarium II. Berendarij I. ex filianepotem Regem constituerunt, & ipse postea filium suum Adalbertum Regem Italiae appellavit. Contra hos plerique Itali Othonem Magnum Regem Germaniae vocarunt, & in Regem Italiae elegerunt. Othoni Magno successit in Regno Germaniae, & Italiae Otho II, filius. Othoni II, filius Otho III. in utroque regno successit, post quem edita est constitutio Pontificia de septem Electoribus Imperatoris. Plura de Electoribus videatur idem Azorius d. cap. 4. ubi quaerit an in electione Imperatoris si sit dissensus, Romanus Pontifex alterum alteri praeferre possit: & quid si in idoneum seu indignum elegerint? & si idoneum, an is antequam sit à summo Pontifice unctus, sacrat, vel confirmatus administrare possit; & an sit totius mundi Dominus; & pleraque talia curiosae investigationis, sed non hujus loci.

Gregorius V. Electores constituit.

Otho Magnus Rex Germaniae vocatus.

Salutandi consuetudo antiqua.

e SALUTEM.) usus iste salutandi non modò Christianis jam diu receptus est ut constat ad Philip. c. ult. 1. Thess. ca. ult. & 2. cap. ult. & alibi, verum etiã Ethnicis ipsis, qui etiam post nomina illam adiciebant, licet interdum isti omis.

PRIVILEGIUM
REGULARIUM
ET
COMMENTARIUM
IN REGVLAS
CANCELLARII
APOSTOLICE
L. 7
P. 1000
C. III
8

omitterent, præsertim Reges, quasi per majestatem. Quod Plutarchus notat in Phocione, dum scribit *Alexandrum victo Dario abstulisse ab Epistolis τὸ χαλγαῖν* (illud salvere) exceptis quas Phocioni scribebat, quem unum, sicut Antipatrum compellebat post salutem dictam. Verum Romani Pontifices Christi discipulos etiam in hoc secuti, hoc salutandi more temper usi sunt, ut licet videre in proemio decret. lib. 6. & Clem. & ibi DD. nam ut bene scribit Rebuff. ad formam mandati Apostolici, verbo salutem, producit salutem, actus charitatis, pietatis, largitatis, fidelitatis, sed utilitatis, tranquillitatis, jucunditatis, & necessitatis. Hinc in primitiva Ecclesia præter salutem, Gratiam imprecebantur, id quod Ignatium, & successores Antiochenes Episcopos fecisse narrat Baronius, in *Annal. Eccles. sub annum Christi 45.* & precedente tempore, post salutem, Apostolicam benedictionem subjecerunt.

f SACRI ROMANI IMPERII) Imperium à Romanis defluxisse qui primùm Regibus regebantur, dein Consulibus, & Dictatoribus, demum Principibus & Cæsaribus, quorū primus fuit Octavianus Augustus (sub quo Servator generis humani natus est) qui bellis civilibus sua virtute extinctis, ipsum denique terrarum orbem pacavit, nemo quisquam est qui ignoret. Hinc Augusti nomine illum insignivit senatus, ut cum primus omnium condidisset Imperium, divino quasi nomine, & titulo, ut L. Florus loquitur, etiam superstes consecraretur. Atque inde fortassis factum est, ut Imperatoribus quasi divinis hominibus, & veluti Jove editis, ut Homerus loquitur, ignis præferretur, *Adri. Turnebus lib. 1. animad. c. 29.* Verum missa hæc faciamus, & disquiramus, quid intersit inter Cæsares, Imperatores, & Augustos? Nonnulli, inter quos est Alciatus in *annot. ut. ad Tacitum*, hoc interesse scribunt, quòd Cæsares, fuerint dicti, qui Augustæ Majestatis hæredes designati essent, administratione rerum interdicta, nisi fortè aliquam provinciam Augusti jussu administrandam haberent. Hinc nulla illis donativa militibus dandi facultas erat, nec in comitatu alios habebat nisi quos princeps tribuisset. Paulò major Imperatoris dignitas, qui licet intra Augusti fastigium positus, ejusque arbitrio bella gereret, summam tamen potestatem in Magistratus, inque milites, habebat, jusque illi belli indicendi erat. Hinc Ovid. lib. 2. *Trist.*

Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,

Auspiciis cui das grando, Deosque tuos.

Evo tamen posteriori, ut Tertul. qui Apostolorum temporibus vicinus vixit, ijdem Cæsares, qui Augusti, & ijdem Imperatores, qui Cæsares & Augusti, Christianus nullius est hostis, inquit Tert. ad Scapulã, *ne dum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Imperio: quousq; seculum stabit, tam diu stabit. Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo confectum, solo Deo minorem.* Ita ille; qui rursus in Apologetico:

B 2

Sed

*Imperium
qui à Ro-
mani
processit.
rit.*

*Quæ sit
differen-
tia inter
Cæsares,
Imperatores
& Aug-
ustos.*

Sed quid ego amplius de religione, atque pietate Christiana in Imperatorem quem necesse est suspiciamus, ut eum quem Dominus noster elegerit: ut merito dixerim, noster est magis Cæsar, ut à nostro Deo constitutus &c. Signentur hæc Tertulliani dicta, sed illud maxime quod tam diu stabit Imperium, quam diu seculum. Ex quo videt lector, illum imbibisse vaticinium illud Danicis cap. 2. per notum, quo non ante, cadet Imperium, quam fatalis & horrendus ille universi orbis occasus adveniet. Iccirco ævo primitivæ Ecclesiæ, Christiani, ne in præcerbas Antichristi vexationes inciderent, ardentibus votis Deum suum pro incolumitate Imperij, Imperatorisque precabantur, ut ex his ejusdem Tertul. verbis in Apolog. licet percipere: Est inquit, & alia maior necessitas orandi pro Imperatore, etiam pro omni statu Imperij rebusque Romanis, quod vim maximam universo orbi imminenti em, ipsaque clausuram sæculi, acerbitates horrendas comminatem Romanæ Imperij commatu scimus retardari. Itaque nolimus experiri, ut dum precamur differrî, Romane diturnitati favemus, Apologet. adversus gentes. Favemus ô Lector! & pro incolumitate Imperatoris, & Imperij ardentibus Deum votis cum Tertulliano precemur: qui si hisce temporibus viveret, in quas voces nõ eruperet? quid nõ moliretur? ô tẽpora! ô mores! sed hæc obiter.

g. PRINCIPES ELECTORES) Diximus supra ceptum in Romano Imperio. Ab istis ad Græcos Constantinopolim, per Constantinum Magnum transivit. Post illa Occidentis Imperium à Græcis ad Francos translatum est, & in Caroli familia usque ad octavam, & nonam generationem permansit. Demum Italia Schismaticis divexata regi cepit per Reges sive Gothos, sive Longabardos, donec tandem Imperium redivivum surrexit in successoribus Caroli Magni, in quos via successione sanguinis, & non electionis gradatim deferebatur. Ab istis tandem delatum est Imperium Germanis in personam Othonis I. qui exactis ex Italia Berengarijs ætate jam provectæ Viennæ Austria obiit circa annu 970. relicto Othone II. successore, qui à Joanne XIII. Papa coronatus: eo mortuo successit in Imperio ejus filius Otho III. ut diximus supra, quem à Benedicto VIII. Papa coronatum legitimus, & is ultimus fuit qui jure hæreditario Imperium administravit: Nã cum Germani proceres animadverteret, Reges & Principes degeneres nonnunquam filios posteris relinquere, sicque satius esse electione Imperium deferre quam successione, (in quo non desunt exempla quæ peti poterunt ex ca. II. lib. I. mei Theauri politic. Aphorif.) hinc factum ut per electionem deinceps Imperator Romanus assumeretur. Ne autem indiscreta, aut subitaria, ut olim plerumque, electio fieret, certos Ecclesiasticos, & sæculares Germaniæ Principes, aucthore præfule Romano selegerunt, ad quos hujusmodi spectaret electio. Ac licet non reperiat in jure decisum, quot numero Principes Germaniæ ad hanc electionem requirantur (nam in Clem. I. de Jur. Jur. legitimus per Ecclesiã Imperium à Græcis ad Germanos fuisse translatum.)

Imperii
Romani
mutatio
qualis.

Mutatio
Imperii
Instituta.

latum, & ab Ecclesia ad certos Germaniæ Principes jus eligendi Imperatorem pervenisse in cap. *Venerabilem de electio*) sed dicatur, Principibus Germanorum jus eligendi Imperatorem jure, vel consuetudine convenire, in cap. *ad Apostolica, de sent. & re jud.* in 6. ubi hoc solum habetur: Illi autem ad quos Imperatoris spectat electio, liberè eligant in Imperio successorem) nihilominus prævaluit sententia glossæ in d. cap. *ad Apostolica, in verbo, Illi autem*, & multorum aliorum dicentium, septem esse ordinatos Principes Electores, videlicet tres Ecclesiasticos, Archiepiscopum Coloniensem, Trevirensensem, & Moguntinensem, quatuor verò seculares, Palatinum Comitem Rheni, Ducem Saxoniam, Marchionem Brandenburgensem, & regem Bohemiam, olim Ducem, licet iste, ut quidam, quos recenset Azorius in *fit. moral. lib. 10. cap. 3.* volunt, non alias sit Elector, nisi in dissensu suffragiorum sex aliorum, Itaque post mortem Othonis III. seu finita stirpe Othonis I. perspicuum est, jus eligendi Imperatorem, resedisse penes eosdem Septem viros, jam nominatos, & primum omnium Imperatorem fuisse non Henricum Saxoniam Ducem (qui sine legitima autoritate Imperij titulum, ut olim Galba & Vespasianus, qui iccirco è Cæsari albo abradi sunt, sibi arrogavit, Carolus Mag. *ad consuet. Paris. tit. 1. Rub. des matieres feud. n. 32.*) Sed Henricum I. Bavariam Ducem ex inclyta & antiquissima Bavarorum familia anno circiter salutis 1003. uno omnium Electorum ore Imperatorem renunciatum, & à Benedicto VIII. coronatum esse. Interea advertit Septem viros istos Principes non Imperatorem eligere, sed Regem Romanorum in Imperatorem promovendum, quod totidem verbis legitur in *Clem. 1. §. x. de iure iur.* Henricum Regem, tunc Regem Romanorum, & clarius in §. nos ibidem, ipsum nominavimus, denunciavimus, & declaravimus in Regem Romanorum, in Imperatorem postea promovendum. Neque obstat quod habetur in cap. *ad Apostolica, de sent. & re jud.* in 6. ubi hæc habentur: Illi autem ad quos in Imperio Imperatoris spectat electio, &c. Nam respondet D. Azorius *fi. g. 1060. par. 2.* in illo Imperatoris suppleri illud videlicet postea promovendi, cum electus in Regem Romanorum postea creetur, ungetur, coronetur Imperator, ut ex præcitatâ, atque ad eâ bulla aurea Caroli IV. Roman. Imp. sub annum Christi 1366. edita constat. Sed nec illud silentio involvendum, quod subjicit idem Azorius, antequam electio Imperatoris ad Septem viros Germanos Romani Pontificis autoritate redacta esset, aliquem Romanorum eligebant, qui deinde ab Italis Lombardis eligebatur, & à Mediolanensi Archiepiscopo coronabatur in Regem Italiæ, tandem à Romano Pontifice, annuente univerlo populo Romano, Imperator Romanorum vocabatur.

Vnde Carolus Magnus, qui primus Aquisgrani fuit creatus, & coronatus Rex Germanorum, postea in Italia Longobardis bello devictis, se fecit in Regem Italiæ coronari, & Pipinum filium Regem Italiæ nominavit. Post Carolum Magnum successerunt ordine Ludovicus Pius, cujus filij tres fuerunt

Rex Boemiae
sui iuris
suffragij
dandi an
habeat?

Ante Electores
P.P.
quis ritus
eligendi?

runt Ludovicus Germanicus, Lotharius, Carolus Calvus : Ludovico Ale-
mania obtigit, feruntque illi filij, Ludovicus, item Carolus Crassus, qui Cal-
vo Imperium eripuit, & Carolomannus, cujus filius Arnulphus post Crassum
imperavit. Arnulphi filij Ludovicus III. Cæsar, & Conradus, cujus Conradi
filij fuerunt Ebrardus (cuius posterij sunt Francorum Principes) & Conra-
dus postremus in hac progenie Cæsar. Postea ab his ad Othomem I. Impe-
rium delatum est, ut prædixi, & tandem cum Germani Principes ob frequen-
tes seditiones viderent magis expedire eligere, quàm ex hæreditate mereri
Principem, tandem Henrico I. Bavaro obtigit, ut diximus, per electionem
Imperium, per quam etiam in alios exinde, ad nostra usque tempora deriva-
vit. Atque de his hoc loco satis dictum est.

Henricus
I. Bavaro
primus
fuit electus
in Imper-
ger Erins-
cipis Es-
leit.
Rex Re-
manorum
assumit
nomen
Imperato-
ris per un-
Bionem
coronati-
onem.
Elenchus
Casarum
coronato-
rum à
Carolo
Magno.

H IN REGEM ROMANORUM) Rex Romanorum creatur per Princi-
pes Electores, nec nomen Imperatoris assumit, nisi unctus, consecratus, co-
ronatus à Papa, *cap. Venerabilem, de Iure iur. Restaurus tract. de Imperatore quest. 10*
Hinc rectè animadvertis Baronius *tom. 10. annal. sub annum Christi 888.* Ar-
nulphum Carolomanni filium, nunquam ab antiquis Scriptoribus Impera-
torem fuisse nominatum, sed semper Regem, eò quòd nefas esset Imperato-
ris nomen assumere, nisi illud ab Apostolica sede collatum esset. Unctus ita-
que & coronatus demùm Imperatoris nomine donabatur; *Restaurus Castald.
tract. de Imperatore, quest. 45. tit. 1.* Qui autem fuerint coronati à Carolo Ma-
gno Reges Romanorum ex Elencho subiecto videbit curiosus Lector, quò
acceptum refero à Patre Joanne Azorio, *lib. 2. Institutionum moralium. part. 2.
lib. 10. cap. 5.*

CAROLUS MAGNUS, Anno Do-
mini 801, in die Natalis Domini, ut
paulò antè dixi à Leone III. Romæ
in Æde S. Petri Chlamydem Augu-
stalem, & coronam auream accepit:
quo factò populus universus ter ac-
clamavit: Carolo Augusto à Deo co-
ronato, Magno, & Piissimo Impera-
tori Romano vita, & victoria. Ai-
monius lib. 5. Rhedino lib. 2. Frising-
ensis lib. 5. Sigonius de regno Italiae
lib. 4.

LUDOVICUS PIUS Caroli Magni
filius, unctus, consecratus, & corona-
tus est à STEPHANO IV. Remis in
Gallia, Anno 816. Aimonius lib. 5.

Rhegino libro 2. Frisingen. libro 5.
Siegbertus in Chronico, Sigon. lib. 4.
LOTHARIUS filius Ludovici Pij
coronatus est Romæ à Paschali I. an-
no 823. Aimonius, Rhegino, Frising-
gen. Sigibert. Sigon. lib. 5. supra ci-
tati.

LUDOVICUS II, Lotharij filius coro-
natus est Romæ in Basilica S. Petri à
Sergio II. anno 844. Aimonius,
Rhegino, Frising. Sigibert. & Sigon.

CAROLUS CALVUS, filius Ludo-
vici Pij, frater Lotharij Imperatoris,
patruus Ludovici II. coronatus est
Romæ in Æde S. Petri à Joanne VIII.
anno Domini 876. Aimonius lib. 5.
Rhe-

Rhegino lib. 2. Frisingen. lib. 6. Sigon. lib. 5.

LUDOVICVS III. cognomento BALBUS, filius Caroli Calui coronatus est Lugduni in Gallia à Joanne VIII. anno 878. Aimonius lib. 5. Rhegino lib. 2. Frisingen. lib. 6. Sigon. lib. 5.

CAROLVS cognomento CRASSVS, filius Ludovici Regis Germaniæ & nepos Ludovici Pij, patruelis Ludovici III. Balbi coronatus est Romæ in æde S. Petri Joanne VIII. anno 881. Aimonius. Rhegino. Frisingen. Sigibert. & Sigon. Arnulphus filius Carolomanni ex concubina, nepos Ludovici Regis Germaniæ, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Formoso Pontifice Romano anno 896. Rhegino lib. 2. Frisingen. 6. Sigibert. in Chronico Sigon. lib. 6.

LUDOVICVS IV. filius Bossonis in provincia Regis ex uxore Hirmingarde, filia Ludovici Pij, & sorore Caroli Calui, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Benedicto IV. anno 901. Rhegino lib. 2. Frisingen. lib. 6. Sigon. lib. 6.

OTHO I. olim Saxoniarum Dux, Germaniarum Rex coronatus Romæ in æde S. Petri à Joanne XI. anno 962. Frisingen. lib. 6. Sigon lib. 6. Ante hunc Othonem I. & post Arnulphum Imperatorem Reges Germaniarum fuerunt Ludovicus filius Ludovici Pij, & frater Lothariæ, & Caroli Calui Imperatorum. Conradus primus Dux Franconiarum, Henricus Dux Saxoniarum pater Othonis I. Imperatoris, sed Reges Italiæ non fuerunt.

OTHO II. filius Othonis I. coronatus est Romæ in Basilica Vaticana anno 968. à Joanne XIII. Frisingen. lib. 6. Sigonius lib. 7.

OTHO III. filius Othonis II. coronatus est Romæ in æde S. Petri à Gregorio V. anno 996. Frisingen. lib. 6. Sigon. lib. 7.

HENRICVS I. ex Duce Franconiæ ac potius Baviarum factus Rex Germaniarum coronatus est in æde S. P. à Benedicto VIII. anno 1014. Nauclerus in Chronologia parte 2. Generat. 34. Sigon. lib. 8. de Regno Italia.

CONRADVS II. ex Duce Sueviarum factus est rex Germaniarum, coronatus est Romæ in Basilica S. Petri à Joanne XX. anno 1027. Frisingen. lib. 6. Naucler Generat. 35. Sigon lib. 8. de Regno Italia.

HENRICVS III. filius Conradi II. coronatus est Romæ in æde S. Petri à Clemente II. anno 1047. Frisingen. lib. 6. Naucler. Generat. 35. Sigon. lib. 8.

HENRICVS IV. filius Henrici III. nepos Conradi II. dum puer esset, creatus est Cæsar anno 1057. sed non est à Romano Pontifice coronatus: fuit enim hostis & persecutor Ecclesiæ & Gregorij VII. Pontificis Romani: contra eum Rudolphus dux Sueviarum declaratus, & electus est ab Electoribus Principibus Rex Germaniarum auctoritate Gregorij 7. & ab eo confirmatus Rex Romanorum, sed non est coronatus Imperat. Naucler. Gener. 36. & 37. Sigon. lib. 9. Item adversus eum Conradus filius, quem in Regem Romanorum eligendum, &

creatus

creandum curaverat ad Romanum Pontificem, se contulit, sed non est Imperator coronatus, Sigon. lib. 9.

HENRICVS V. filius Henrici IV. per vim coronatus est Romæ in Basilica Vaticana à Paschali II. anno 4. quem captivum abduxerat, cum clericorum, & ingenti laicorum multitudine, & mortuus est absque virili prole. Nacler. generat. 38. Sigon. lib. 10.

LOTHARIVS II. ex Duce Saxonia factus Rex Romanorum coronatus est Imperator Romæ in æde S. Petri ab Innocentio II. anno Domini 1133. Nacler. in Chronico part. 2. generat. 38. Sigon. lib. 11.

CONRADVS III. Dux Suavia Henrici V. filius mortuo Lothario electus est & designatus Imperator anno 1138. non tamen coronatus à Romano Pontifice, Nacler. generat. 38. Sigon. lib. 11.

FREDERICVS cognomento **ÆNOBARBVS** Suavia dux, nepos Conradi III. ex fratre Frederico, coronatus est Romæ in æde S. Petri ab Adriano 4. anno 1155. Nacler. Generat. Sigon. lib. 12.

HENRICVS VI. filius Frederici I. coronatus est Romæ in æde S. Petri à Celestino 3. Nacler. Generat. 40.

OTHO 4. filius Henrici Ducis Saxonia electus, & deinde confirmatus à Prædestino Episcopo nomine Innocentij 3. erat enim ejus legatus in Germania, & deinde coronatus est Romæ in æde S. Petri ab Inno. III. anno 1606. Nacler. Generat. 41.

FREDERICVS II. Henrici VI. filius in Regem Romanorum electus, confirmatus est ab Innocentio 3. coronatus verò ab Honorio 3. anno Domini 1220. Nacler. Generat. 41.

CONRADVS IV. filius Frederici II. electus est Rex Romanorum vivente patre anno 1287. Nacl. Generat. 42. sed non est à Romano Pontifice coronatus, & cum Fredericum patrem Innocentius IV. Imperio privasset, Principes moti ab eodem Innocentio elegerunt Henricum Langravium Thuringia, & qui brevi hic mortuus est, elegerunt Guillelmum Comitem Hollandia, vivente adhuc Conrado quarto, & deinde occisus est à Frisonibus mortuo Conrado quarto, postea per aliquot annos fuit interregnum, dissidentibus inter se Electoribus, quia quidam anno 1277. elegerant Ricardum Cornubia Comitem, fratrem Henrici Regis Anglorum, alij verò Alphonsum X. Castellæ regem. Tandem anno 1273. Electus est Rudolphus Comes Habsburgensis, qui fuit pater Alberti I. Ducis Austria, non est coronatus, sed confirmatus Gregorio X. in Concilio Lugdunensi, ea conditione, ut anno proxime sequenti Romam veniret, unctiorem consecrationem, & coronam accepturus. Nacl. Generat. 43.

Albertus I. Dux Austria, filius Rodolphi I. electus est anno 1299. Nacl. Generat. 44. mortuus est anno 1308. non est coronatus.

HENRICVS SEPTIMVS Comes Luxa-

Luxenburgiacceptâ corona argenteâ in Germania, & ferreâ in Italia, coronatus est aureâ Romæ à tribus Cardinalibus legatis Clementis V. In æde S. Joannis Lateranensis 1311. Naucler. Gener. 44. obiit anno 1313. & postea anno sequenti Electores dissidentes elegerunt Ludovicum Ducem Baviaræ, & Fredericum Ducem Austriaræ. Naucler. Generat eadem.

CAROLVS QVARTVS filius Joannis Regis Bohemiæ, Nepos Henrici VI. Imperatoris Romæ in æde S. Petri coronatus est à Petro Cardinali Hostiensis Legato Innocentij VI. Naucler. Generat 35. & 36. Electores elegerunt contra Carolum Odoardum Regem Angliæ, sed electionem illerepudiavit. Postea elegerunt Gutherû Comitê, sed brevi mortuus est.

VENCESLAVS Caroli IV. filius Cæsar tantum fuit, non Augustus, nec coronatus Imperator. Naucler. Generat 46.

ROBERTVS ex Comite Palatino & Duce Baviaræ electus est Rex Romanorum anno 1400. non est Imperator coronatus.

SIGISMUNDVS filius Caroli 4. Imperatoris Bohemiæ, & Hungariæ rex coronatus est Romæ ab Eugenio IV. apud S. Petrum anno 1430. Naucler. Generat. 49.

ALBERTVS 2. Austriæ Dux, & Bohemiæ, & Hungariæ Rex, Gener Sigismundi Imperatoris, fuit Cæsar, & Rex Romanorum Electus anno 1438. sed non coronatus Imperator, Naucler. Generat. 48.

FREDERICVS tertius Ernesti

Ducis Austriæ filius, coronatus est Romæ in æde S. Petri à Nicolao V. anno 1452. Naucler. Generat. 45.

MAXIMILIANVS Frederici tertij filius, Cæsar electus, sed non coronatus Imperator.

CAROLVS V. Philippi Principis Hispaniæ filius. Nepos Maximiliani Cæsaris, Frederici tertij Imperatoris pronepos, coronatus est Bononæ à Clemente septimo, anno 1530.

Annales nostri referunt illum inauguratum Aquisgrani anno 1512. 4. Idus Novemb. vid. Annales D. Chapeville Canonici & Vicarij Leodien. in vita Erardi à Marcka cap. 10.

FERDINANDVS Rex Bohemiæ & Vngariæ, frater Caroli V. Imperatoris Cæsar fuit, non Imperator coronatus.

MAXIMILIANVS secundus Rex Bohemiæ, & Hungariæ Ferdinandi Cæsaris filius, Cæsar fuit, non coronatus Imperator.

RODVLPHVS secundus Rex Bohemiæ, & Ungariæ, filius Maximiliani Cæsaris, nepos Ferdinandi Cæsaris, Rex & Cæsar est, obiit anno 1612. in Febr.

MATHIAS Archidux Austriæ, filius Maximiliani Cæs. Rex etiam & Cæsar Romanorum, qui obiit anno 1619. non etiam coronatus.

FERDINANDUS II. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Comes Tyrolis, S Sedi obedientiam præstitit ministerio Ducis Sabelli 1. Maij anni currentis 1620.

Electio
Imper.
confirmatur
à Papa. Dux
Sabelli
præstat
obedienciã
S. Sedi pro
Ferdinand
do.

II.
Electus
Rex Rom.
insinuat
electionem
suam S.
Pontifici
per suos
Legatos.
qui pro eo
præstant
obedienciã
&c. Unctio
quã dis-
ferat à
consecra-
tione.

Imperator
ante coro-
nationem
Preces non
concedit.
Primariæ
Preces cur
sic dicantur.

i CONFIRMATAM) Electio enim Imperatoris confirmatur à Papa, textus in Clem. 1. de Jur. iur. post pr. ibi. approbationem &c. & alibi, & notat Restaurus Castaldus tract. de Imp. quest. 17. & Innoc. in cap. Venerabilem de Electio. cui etiam præstat obedientiam: quam nuper, hoc est: 1. Maji hujus anni 1620. exhibuit S. Sedi gloriosus, & invictissimus Imperator Ferdinandus II. ministerio Illust. Ducis Sabelli ipsius ad S. Sedem Legati: prout & Matthias illius prædecessor opera Illust. & Rever. D. Episcopi Bambergensis. Est enim à multis jam, retro sæculis usu receptum, ut Electus hanc confirmationem seu approbationem, per solennes Legatos seu Nuncios à Papa cum speciali mandato petat, ut est textus in d. Clem. 1. ibi. dictus namq. Et habetur in solenni libro sacrorum Ceremoniarum lib. 1. sect. 5. cap. 1. in pr. quod Electus Rex futurus Imperator Romanorum primùm consuevit electionem suam per suos solennes Oratores intimare S. Pontifici, & decretum electionis offendere &c. & per tales nuncios suos, cum speciali mandato Electus in futurum Imperator exponit devotionem suam & reverentiam, seu obedientiam filialem erga S. Pontificem & sacram Rom. Ecclesiam, petens gratiam, & favores consueto, & præstant isti pro eo in ipsius animam juramentum fidelitatis Papæ, & Ecclesiæ, petendo unctioem & consecrationem, ut in d. Clem. unica, de Jur. iur. & Restaurus Castaldus d. q. 17. Anast. Germon. tract. de sacror. immunitatibus lib. 3. in præmio n. 5. Unctio autem quid differat à Consecratione, si quæras, Respondebo; Unctioem fieri oleo sacro, non tamen chrismate in brachio dextro sive humero, & in æde S. Petri ad altare S. Mauritij, Consecrationem verò sine oleo: quippe quia S. Pontifex super eum manus apponit adhibitis certis quibusdam precibus, quibus Dei nomen, & auxilium invocatur. Quædammodum etiam sine oleo res quædam in Ecclesia consecrantur. Aliter verò presbyteri, & Episcopi consecrantur. Nam presbyteri sacrum ordinem recipiunt: Episcopi itidem sacram potestatem certa quædam sacramenta conferendi, & quæ presbyteri carent. Sunt qui putent Imperatorem per consecrationem sacrum ordinem recipere, & subdiaconum fieri; sed hoc falsum est: nam licet ministraret Papæ sacris operanti in veste subdiaconi, non propterea est Diaconus, cum Imperator inter Laicos reputetur, cap. ubi nam 96. distinctione, nec illum sacrum ordinem habere possit vir conjugatus, ut post Castaldum tract. de Imp. notat Azorius lib. 10. Inst. mor. cap. 8. vers. Tertio quaeritur: Cæterum, adverte, quod ex hac unctioem & coronatione resultat confirmatio, quæ sine tacita, an explicata, amplius est discurrendi campus, quem ego modo ingredi nolo ob spinas quæ in eo dispersæ. Solum dicam illud esse exploratissimum non solere Pontificem Primariæ hæc Preces ante obedientiam sibi præstitam Cæsari indulgere, qui nec potest ante dictam consecrationem aliquod privilegium concedere, nisi aliud S. D. N. videatur. Guido Papa de off. 239. in fi. Primariæ autem Preces sic dicuntur, eo quod semel dumtaxat

seu pro prima saltem vice, non autem vel bis aut sæpius uni & eidem Imperatori, in una eademque conceduntur Ecclesia, Boët. *Epo. tract. de Regal. n. 264.* A quo autem tempore ceptus fit illarum usus, dixi supra in proemio.

k ADVOCATUM DEVOVISTI) Imperator dicitur filius Ecclesie, advocatus & defensor, *text. in cap. Venerabilem de Electio cap. convenior 23. quest. 2* quia debet sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus caput est Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei & claræ devotionis promptitudine venerari, esseque protectorem, procuratorem & defensorem Pontificis, & Romanæ Ecclesie in omnibus necessitatibus, & utilitatibus suis, custodiendo, conservando honores, possessiones & jura ejus, quantum divino suffultus adjutorio potuerit secundum scire, & posse suum, ita enim jurat, & promittit Pontifici tempore coronationis ejus, ut patet in *Clem. 1. in pr. in verbo, Ego h. Rom. Rex &c. de Jur. Jur. Restaurus Castaldus tr. de Imp. q. 6. & q. 7* nam ante coronationem & consecrationem quam recipit ab Ecclesia, Imperator non est, sed Rex Rom. *vide d. Clem. 1. ubi glos. in verbo Futurus, & in verbo Reges*, ubi scribit quod si Imperator non possit recipere coronam in loco debito, nihilominus auctoritatem administrandi recipere potest à Colonienſi Archiepiscopo, quod verum, nisi sit à Papa confirmatus *Restaurus quest. 49*, Coronatur autem Imperator triplici corona. 1. Ferrea, idque Aquiligrani quam recipit ab Archiepiscopo Colonienſi, 2. Argentea, quam Italiam ingressus recipit à Mediolanensi Archiepiscopo. 3. Aurea, qua per Papam Romæ in Ecclesia S. Petri ad altare S. Mauritij coronatur. Quid autem coronæ istæ designent consule *Restaurum d. tract. quest. 33. & de his quoque glo. in d. Clem. unica* Et Carolus Sigonius *lib. 7. de regno Italia.* Denique Petrus Gregorius *de Rep. lib. 6. cap. 20.* Neque enim lineas quibus breve hoc scriptum inclusi, prætergredi volo. Tantum hic adverte, Papam iccirco narrare Imperatoris merita, quorum etiam intuitu facultatem nominandi concedit, quia virtutum præmia tribui merentibus conveniat, *ut habetur in l. fin. C. de status & imaginibus & labore*, ac virtute ad dignitates convenit pervenire, non ambitione *l. contra. C. de re militari. libro 12. l. si quæpiam C. de Episcopis & Cler. cap. sicut 1. quest. 7.*

Imperator dicitur Ecclesie filius, advocatus ac defensor.

Imperatori tres coronæ.

Virtutum meritum a tribus merentibus convenit.